

*δοξάν* à Christo adhiberi, videlicet ut certum verumque notet iudicium, non inanem saltem ac probabilem, quæ falsa quoque esse possit, contrariamque admittat, opinionem, sive ut *βεβαιώσεως firmæ adseverationis*, non *ἐνδοιασμοῦ* sive dubitationis, prout Photiniani volunt, significationem habeat; non ex contextu solum ac Salvatoris scopo, quin ipsa quoque fidei analogiâ, sed ex aliis quoque Scripturæ Sacræ locis, in quibus pariter id verbi occurrit, videlicet Matth. 17, 25. Cap. 22, 42. cum primis Marc. 6, 49. collato cum Matth. 14, 26. item Luc. 8, 18. collato cum Marc. 4, 25. 1. Cor. 4, 9. Cap. 7, 40. &c. luculenter patet) vita æterna in sacris divinisque litteris, & his quidem non Novi solum Testamenti, quæ tum nondum extabant, nec, si vel maximè etiam extitissent, à Judæis, cum quibus Christo ibi sermo est, adhuc dum recipiebantur, sed & Veteris sive fœderis antiqui habeatur; inchoatè quidem in hâc vitâ per gratiam, ibi verò in futurâ consummatè per gloriam. Verùm enim verò à cœlesti hâc veritate, quòd scilicet in Vet. Testam. tabulis, scriptis nempe Mosis ac Prophetarum, vitæ æternæ aperta (h. e. quæ à singulis fidelibus intelligi potuerint) habeantur promissa, quodque adeò pij in Vet. Testam. promissionibus illis divinis erigere se, ac vi eorum gaudia sibi polliceri æterna cer-

na cer-